DE TUMORE SEU ABSCESSU LYMPHATICO ANIMADVERSIONES QUAS AD...

Luigi Sette

DE TUMORE

SEU

ABSCESSU LYMPHATICO

ANIMADVERSIONES

QUAS

AD MEDICINAE ET CHIRURGIAE LAUREAM

IN PERVETUSTO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE CONSEQUENDAM

EXPONIT

ALOYSIUS SETTE

TYROLENSIS

EX BURGO AUSUGO

PATRI DILECTISSIMO

OBSERVANTISSIMUS FILIUS ALOYSIUS

S. P. D.

Paucae eae paginae, quas de abscessu lymphatico conscripsi, tibi parentum optimo instituti amant, atque adeo desiderant. Scio quod argumentum a tuo officio longe multumque distat, et notum mihi pariter est, quod lingua qua meam opellulam ruditer atque inculte admodum indui, barbara tibi sane ad aures devenerit. Attamen non omnis culpa Medici est, si filii charitas cordi penitus obsecundans rationi aliqua ex parte repugnare visa fuit. His adde, quod si opera omnia eo tantum consilio dedicantur ut Maecenatem et Patronum optimum non tam sibi acquirant, et benigniorem faciant, quam ut iisdem potius effusam grati animi significationem testentur, cui unquam amantissimus filius, quicumque sit, nisi amatissimo Patri primigenum laborum suorum quasi flosculum vel per inodoros hortos

collectum poterit offerre? Accipe igitur, Pater suavissime, filii in tuos amplexus iterum redeuntis, et nunquam, ut spero, abituri, tenues quidem mentis conatus, sed maximam cordis voluntatem; et tamdiu incolumis vive, quamdiu Aloysii tui vota et deprecationes expostulant. Utinam tantum in Medicina et Chirurgia profecerim, quantum sufficiat, ut integram tibi semper salutem servare, amissam celerrime possim restituere!

Quod si omnia uni huic tantum voto arrideant, videbor satis magnum laborum meorum fructum percepisse. Vale.

Si quae unquam existit affectio chirurgica, quae plenissimam medicae scientiae cognitionem ad sui medelam requirat, ea certe est affectio illa, quae tumoris aut abscessus lymphatici nomine in Chirurgia distinguitur. Nota siquidem est quanta rerum communio Chirurgiam inter ac Medicinam intercedat; et hanc veritatem nos Italos primum caeteras super nationes Gallicamque docuisse laetamur. Attamen si certum est quod revera Chirurgia sine Medicina, et haec sine illa stare nunquam potest, absque dubio etiam elucet quod juxta varios morbos, plus minusve Medico Chirurgus, Chirurgo Medicus indiget; in tumoris vero lymphatici causis phaenomenisque indagandis, ejusdem indole ac natura disquirendis, aptiorique curae methodo seligenda, erraret certe Chirurgus Medicinae ignarus, erraret Medicus sanioris expers Chirurgiae. Quapropter mihi videtur optatissima hac die illucescente, qua medica et chirurgica laurea honestabor, opportunum hoc argumentum in medium proferre, et pro ingenii viribus aliqua de ipso disputare.

Eadem igitur humanitate, qua me semper, Praeceptores clarissimi, sustinuistis, postrema hac die quoque humaniter sustinete, et indelebiles gratissimi mei animi sensus lubenter accipite.

Primo igitur simpliciter breviterque historiam, dein totam rei nostrae rationem exhibeam. Maria Morello, ex

Provincia patavina, annorum sexdecim, laxa corporis structura praedita, die vigesima nona Aprilis in clinices scholam se transtulit. Retulit quod adhuc puellula eaedem semper bona salus arrisit. Duobus mensibus anteactis plurimos labores exantlavit, cum amiculae suae vellet saluti prospicere, ideoque dies noctesque insomnes traheret, et altissimam scalam saepe saepius ascendere et descendere cogeretur. Ab eo tempore conquesta fuit de lenta tumoris evolutione in coxa dextera, cujus lenta tumoris evolutio eamdem persuasit ut serius chirurgicum praesidium expostularet. — Revera tumor leviori dolore stipatus excreverat et aderat, color cutis fere naturalis monstrabatur, calor item, attamen in suspicionem cadimus quod, quamquam levis, certe aliquis phlogoseos processus praegressus fuisset. Hinc illum tumorem lymphaticum appellandum esse censuimus.

Praeter enim haec evidentia phaenomena, sequentia etiam adjungebantur, ut reapse lymphaticus definiretur. Erat nempe mollis naturae, formae irregularis, et non satis certa fluctuationis indicia ferebat, cedebatque facillime fluidum in cavo collectum sub leviori digiti pressione. Cum cistico tumore confundi non poterat, ex eo quod cistis praesentia itā ageret, ut altius tumor ex cute exurgeret et promineret, sphaericam figuram assumeret, vel simplici attactu moveretur, magis corporibus externis resisteret, et eamdem formam, quam a prima evolutione habuit, semper praemonstraret. Quapropter illum tumorem lymphaticum esse et diximus et curavimus. Hirudines decem super quatuor cito circa abscessum admovebantur, et pro potu dedimus duo grana tartari emetici soluta in decocto graminis; adplicabatur cataplasma mutandum saepe de die, quod continuatum

est per integrum fere mensem. Quarta die juxta regulas artis pertusus fuit tumor, et revera non jam pus exibat, consuetus inflammationis exitus, sed abundans limpidi seri copia. Confirmati igitur nos in propria opinione cito confugimus ad depressas illarum partium vires tum chemicas quum vitales erigendas; quod obtinuimus fascia in circulum stricte ducta, et balneo confecto ex satura corticis quercus decoctione. Atque eo magis hisce insistimus praesidiis, quod cum tarda suppuratio ultro protraheretur, vespertina febris insurrexerat, quae certe favebat ut secretionis indoles pejor in dies evaderet. China peruviana, lichen islandicus, radix columbi, gummi assae foetidae sibi invicem manus praebuerunt, ut primo fractae vires attollerentur, sustenteretur secundo nutritio, tertio compesceretur diarrhoea, ultimo systematis nervosi perturbationes sedarentur.

Aegrae jam salus arridebat; sed post viginti dies iterum concidit, et in pejora ruit. Menstrua adhuc desiderat Maria. Hoc nos persuasit ut martialia medicamenta experiremur; sed ea omnia ventriculus omnino respuit. Succurrebat igitur iterum cortex peruvianus, temperabatque balnei ex quercu et china vim, atque acerbitatem balneum emolliens. Fere restituta puellam accipiebat aula civici Nosocomii, cum anni finis pro studiis eo tempore recurreret.

Nemo inficiari voluerit, quod celebriores Chirurgi uti sunt Itali nostri Paletta, Flajani, Jacopi, aliique, multa de hujusce morbi indole atque cura in medium allati sint judicia, quae pleniori veritatis luce donata esse videntur. Attamen summi illi ad summa nati nonnulla praetermissi sunt quae levioris momenti minime habenda, etenim leviora saepe Chirurgum et Medicum

de iis instruxere, quae vel maxima eosdem instruere non potuerunt. Paucis itaque sic rem totam comprehendimus.

Fatemur omnia illa a citatis scriptoribus exhibita circa causas, pathologicam conditionem et curae methodum nobis non posse omnino placere, et aegrae nostrae ethiologia, decursus morbi ac cura, numquam in eorum opinionem nos compulisse utpote quae a severioris judicii vi, et praxeos diligentissimae auctoritate longe multumque distant. Dicemus igitur primo, quod si aegri constitutio et morbi jam passi signa veluti certa habentur ad diagnoseos veritatem plenius e tenebris eruendam, hoc et nos lubenti animo concedere; si et ipsi concedant eos tumores non raro phlegmonoideam naturam induere quam lymphaticam, unde judicamus quod nomen *Tumoris phlegmonoso-lymphatici* nonnullis Jacopi et aliorum scriptorum observationibus melius accomodaretur, atque hoc a nobis magis desideratum, ut ita ipsi tumoris significationem juxta eorum sententias ab illa abscessus accuratiori modo, ac philosophico sermone recte disjungerent; sic poterant exactiori vocabulo propriam ideam exponere, nec hanc vocis defectu obscuram saepissime reddere atque manifestare.

Et revera si nomen lymphatici huic tumori tributum deducit, ut est plurimorum opinio, ad speciosas conjecturae quaestiones, et falsissima corollaria, ex eo quod lympha proprie ea non est quae tumorem revera constituit, multo minus putamus quod generalis abscessus vox lentam morbi evolutionem indicet, aut ullo modo indicare possit. — Verum si quidem est quod nomina jam ab antiquitate in scholis recepta nunc respuere, idem esset ac omnia innovandi cupidine illecti magis certe

damni in scientias importare quam utilitatis, cum amplissimus ita contradictionis et injuriarum campus recludatur; sed verum pariter est, quod thecnicum artis vocabulum numquam illud significare debeat, quod auctoris ideae et veritati penitus repugnat.

Nec haec subtilioris potius ingenii observatio a vobis existimetur. Credo enim veteres scriptores sub abscessuum lymphaticorum appellatione intellexisse non jam eam morbosam conditionem ex qua hujusmodi tumores conflari nunc putamus, sed peculiarem tumorem constitutum a lympha exeunte a propriis vasis, et aliqua in parte deinceps majori copia collecta, idque aut ob vasorum disruptionem, aut ob deletum aequilibrium inter absorbentia et secernentia, vel ob alia innumera quae delicato illo systemati similes labes inferre valent.

Atque hic ne vobis displiceat, quod ideam, qualiscumque sit, vobis offeram, quae mihi occurrebat fungi sanguinei indolem ac naturam considerans, qui meis curis tradebatur in schola chirurgica sub auspiciis clarissimi Professoris Vincentii Fabeni, et cujus descriptio hoc eodem in loco paucis abhinc diebus prolata fuit ab amico mihi multo carissimo atque suavissimo Doctore Petro Nodari. Mihi enim videtur quod fungi sanguinei indoles ac natura tam feliciter a recentioribus praesertim, uti sunt Jacopi, Boyer, Mounoir exagitata atque perspecta poterat eos omnes inducere qui egerunt de abscessu lymphatico, ut eadem ratiocinandi ratione suffulti, melius fortasse de hoc morbo concluderent. Nam si certum indubiumque est, quod analysis chemica clarissimum evinxit Marabelli quod ille tumor aliqua tantum parte ex lympha constituitur; si verum est, quin imo verissimum, quod materies in cavo contenta eo ma-

gis a propria indole discedit, quanto magis varius est morbi gradus, et varium tempus quo illud fluidum extrahebatur; si putarunt et adspexerunt celeberrimi viri quod in fungo haemathoideo quandoque massa innumeris vasculis sanguineis intertexta se sistit, quandoque (ut ipse vidi in exemplo quod protulit citatus Nodari) nigri solutique sanguinis copia erumpit, nonne ingeniosa et vera genesis pathologica in systemate sanguifero quaesita ad abscessus sanguinei, ut cum Paletta loquar, formam constituendam, plurimum conferre potuerat, ut iisdem innixi principiis, tumoris lymphatici variis sub conditionibus morbosam evolutionem elicerent et explicarent? Nonne causae traumaticae, aut aliae quae adhuc tenebris involvuntur, quae arteriarum et venarum mutuam dilatationem, contractionemque, statum, posituram, longitudinem, normam, actionem ita immutant, ut tumor varicosus Boyer insurgat, eaedem multo facilius lymphaticorum provinciam invadendo tenuissimis delicatioris texturae vasculis undique circum septam poterant eadem facilius abradere, extendere, porrigere, ita ut qua lympha effusa tumor redundaret, qua infinitis lymphaticorum ramulis quasi in retem junctis, fungi haemathoidei more, sensim sensimque in magnam molem excresceret?

Sed quomodocumque sit de peculiari hac nostra opinione, quae validioribus argumentis innixa fortasse aliquid afferret emolumenti, quaeque brevitatis causa ommittere debeo, animadvertunt qui de natura pathologica horum abscessuum tractarunt, quod diathesis hypostenica aut saltem minus firma constitutio hosce tumores sustentent, proptereaque praegressus sit surdus ille et latitans phlogoseos processus, unde localis debilitas ac

mitis partium affectarum reactio ea sint momenta quae omnibus sub circumstantiis inflammationis gradum ita coerceant, ut abscessus lymphatici indoli ac formae circumscribant. Quod quidem nos non tam negare audemus quin imo malumus hoc comprobare, dummodo eorum auctorum de hujusce morbi indole videndi modus certioribus limitibus consistat, et peculiares opiniones stabilioribus fundamentis innitantur. Videmus enim saepe saepius praecipue post pulcherrimas utilesque Tommasini de phlogosi considerationes, quod in hominibus summe prostratis, data causa, inflammatione et quidem vehementi laborant; uti verum minime est, partem minori vitae vi donatam minus semper externis potentiis respondere, ideoque in illis nisi levis, imperfectaque inflammatio posse exsuscitari. Dicendum ne igitur nobis quod partes humani corporis vel sine nervis vel cum nervorum defectu leviori phlogoseos impetu quibuscumque sub causis corripi posse prae iis quae infinita nervorum propagine undequaque saepiuntur? Nonne meninges, pleura, peritonoeum, quae si nervos habent, paucos certe possident, contraria penitus emonstrant? Nonne omnibus Medicis ac Chirurgis patet, ut cum ipso Jacopi nostrae sententiae hoste validissimo atque doctissimo loquar, « che grandissimi ascessi decisamente flemmonosi, sono associati talvolta alla general debolezza? »

At opponant nonnulli causae quae abscessubus lymphaticis originem praebent, eae omnes esse possunt, « che descrivono, ut ait Jacopi, tutti i Chirurghi sempre o quasi sempre in persone cachettiche da molto tempo valetudinarie, e travagliate da un tumor linfatico in qualche parte del corpo, o dopo lunghe

» febbri terzane, quartane, intrattenute dalla mendicità, » dalle abitazioni in siti umidi e paludosi; » quas omnes causas, praeter scrophulam, praecipuas esse et aptiores ad abscessuum lymphaticorum processus lente evolvendos, nos quoque cum perillustri Physiologiae olim Professore in Ticinensi Archygimnasio censemus.

Scrophula tamen apud nos est fortasse ea causa, qua nulla frequentior et terribilior potest recenseri; imo opinamur, quod distinctio ac diagnosis tumoris scrophulosi et lymphatici summe admodum difficilis sit, et saepe eveniat quod unus cum altero morbo vel a peritissimis confundi possit. Caeterum aethiologiam illam ii fere omnes amplexi sunt, qui de hisce tumoribus tractarunt, et vidi amplexum eamdem fuisse clarissimum meum praeceptorem Vincentium Fabeni.

At si tumor lymphaticus aegrum invadat universim quidem debilitatum, sed ubi abscessus residet, causa externa ibi egisset, et morbum excitasset, dicendum ne nobis erit, quod ictus, violentia, contusio, aut alia quaecumque mechanica actio, quae valuerat tumorem inducere, similis naturae ita semper evolvat, ut similem curae methodum semper etiam exposcat? Si judicat Flajani « una interna cagione da per sè sola capace di de» terminarne lo sviluppo; » si alia ex parte cum Romano Chirurgo fatetur Jacopi, quod « talvolta, non già » sempre, questa malattia è stata o di poco o di molto » tempo preceduta, ed in certo modo occasionata da uno » sforzo, o da un colpo, o da una violenza esteriore eser» citata contro la parte, che è poi divenuta sede del tu» more; » concludi ne potest, quod eae causae interna certe violentiores eodem ferme pacto a Medico et Chirurgo averti debeant? Ego autumo, bona tot celebratis-

simorum virorum venia, quod quoties interna causa per se valet abscessum lymphaticum sic dictum procreare, optima res sit plus minusve tonica et stimulantia intus porrigere et exterius quoque eadem apponere; at si externa momenta jam enuntiata uti unicae causae tumoris et habeantur et sint, ego numquam tonica localia suaderem ea fretus cogitatione ut vera inflammatio suscitetur, et verus inflammationis exitus prosequatur. Reapse si causa ex se non potuit necessarium phlogoseos ignem accendere, absonum rationi mihi videtur, arte flammas adjicere, potius quam mitissimum ignem et ad illam escam non utilem, mitissimis pharmacis facillime extinguere. Nec nos certe persuadeat Jacopi effatum: « non praticare egli per massima invariabile in » ogni caso di tumor linfatico l'ampio salasso locale pre» messo all' operazione, ed ottenuto per mezzo delle » sanguisughe applicate al tumore da operarsi. » Flajani opinionem oppugnet quantum vult, qui anteaquam abscessum aperiret, emollientia adplicabat, concludat propriae sententiae perdite amator: « comunque poi sia » su di ciò, è un fatto che nella scuola clinica molti » ascessi linfatici sono stati curati e guariti col metodo » indicato nell' esposte osservazioni, senza le premesse » applicazioni ammollitive suggerite e praticate dal signor » Flajani; » nos animose admodum respondemus, quod Jacopi in citatis observationibus saepe coactus fuit emollientia cataplasmata tonicis balneis praeferre, saepissime vidit ob balneorum tonicorum immoderatum usum cutis inflammationes et erysipelates exsuscitari; quod contra sentire ac facere id coegit puellula a nobis curata, idque docere semper et sustinere ratio nos suasit, nostra et ipsius experientia quodammodo evinxit. Hinc bre-

viter praecidimus, quod si Jacopi aliique demonstrandum studuere tumorem lymphaticum ex se semper esse affectionem hypostenicam tonicis semper curandam a Medico et Chirurgo, nos demonstrare studemus, quod abscessus ille semper quidem diathesi hypostenicae sociatur, conditio vero morbosa localis respondeat quidem fere semper diathesi, sed juxta causas non omnino semper accommodetur, et diversam conditionem pathologicam saepe praeseferat; uno verbo: Medicus in curando abscessu lymphatico proprie dicto tonica semper adhibens raro in errorem incidit; Chirurgus vero bene consulat ne facillime tonicis localibus sine adhibita locali sanguinis emissione praecipue in quibusdam casubus in errores et quidem maximos cadat. Hic enim morbus ille proprie est, propter quem mihi videtur confirmari ea quae jam praefabar, et defenderam, quod nempe: *erraret certe Chirurgus Medicinae ignarus, erraret Medicus sanioris expers Chirurgiae.*

THESES DEFENDENDAE

I.

Lux vi excitanti et physico-chemica in organismum gaudet.

II.

Phlebotomia post catameniorum cessationem non semper necessaria; et si necessaria, in pede potius quam in brachio instituenda est.

III.

Datur, praeter diathesim, etiam actio hypostenica, vel hyperstenica.

252

PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

MDCCCXXIX